



Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 4. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

praeceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est; ita ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi; innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.

324. Quò respexere S. Bernardus de praecepto, & dispensatione cap. 12. super illa verba regulæ S. Benedicti: Obedientia, quæ majoribus præbetur, DEO exhibetur, ita differens: *quamobrem quicquid vice DEUS præcipit homo, quod non sit tamen certum, displicere DEO, aut secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat DEUS.* Et infra: *ipsum proinde, quem pro DEO habemus, tanquam DEUM in his, quæ aperte non sunt contra DEUM, audire debemus.* Et S. Patriarcha noster Ignatius in Epist. de obedientia, & in constitutionibus eadem sæpe repetens. Idipsum confirmat eximius Doctor secunda secundæ tract. 2. disp. 13. de Bello sect. 6. quia in illis circumstantiis tutius est obedire, & in dubiis tutior pars est eligenda; quapropter cum non teneatur subditus obedire, nisi certa sit potestas in superiore adimperandum, in illis circumstantiis certa est superioris potestas, ac proinde, & potestas Ecclesiæ ad decidendos casus matrimoniales in quæst. juris, sive divini, sive naturalis.

325. Propter eandem rationem, & Ecclesiæ consuetudinem manet in Episcopis certa potestas ad dispensandum in casu necessitatis in impedimento dirimente. Tum etiam matrimonium contractum coram Parocho, & testibus, si inveniatur esse nullum propter impedimentum dirimens omnino occultum, & sine periculo publicitatis, potest revalidari solo mutuo consensu, & sine Parocho, & testibus, ut apud Paulum Leonem constat in praxi ad literas majoris penitentiariæ. Cæterum extra casum necessitatis revalidari sic non potest; quòd si alter conjux sit inscius nullitatis, cognitio enim nullitatis sufficit in communi, si alter conjux dicat: volo ex nunc, si non consisteret inter nos matrimonium, de nunc contrahere; altero respondente: *Volo*, manet verus contractus; vide alios multos satis expeditos contrahendi modos apud Thomam Sanchez; nunc autem debemus dissolvere fundamenta Adversariorum, quæ multa sunt, pro quibus sic

SECTIO IV.

Solvuntur Opposita.

326. **O**bjicies 1. Contra 1. assert: ex recentioribus: damnatio hujus propositionis est odiosa, ac proinde expositio illius restringi debet; sed ex eo quod restringi debeat expositio, male extenditur à nobis ad omnes illas opiniones probabiles assignatas circa materias, & formas singulorum Sacramentorum; ergo &c. Probatur maj. non minus est de essentia legis, tendere ad bonum illorum, quos obligat,

ut docent Juristæ, & Theologi videndi apud eximium Doctor lib. 5. de legibus. cap. 2. quàm sit de natura hujus damnationis tendere ad bonum fidelium, sed quævis lex tendat ad bonum, debet interpretari strictè tanquam odiosa, ut Theologi, & Juristæ docent, videndi apud Franciscum de Sandial. lib. 1. sectarum cap. 12. ergo &c. Confirmatur. Lex non dicitur odiosa, quia legislator odio prosequatur subditos per legem, sed quia lex eadem assert subditis, & molestiam, ut explicat Barbosa de axiomatibus juris ubi frequentioribus Axiomate 166. sed idem assert prædicta damnatio respectu propositionum, quas prohibet; ergo &c.

Resp. N. maj. ad prob. dist. maj. non minus & eodem modo, nego, diverso modo, con. maj. & dist. min. nego consequ. Ratio discriminis est, quia damnatio hujus propositionis non solum tendit ad bonum commune Ecclesiæ, sed etiam ad bonum uniuscujusque particulare, ut constat à num. 305. & tunc interpretari debet ut favorabilis; lex autem civilis aut Ecclesiastica poenalis aut onerosa licet tendat ad bonum commune, non ita tendit ad bonum particulare, & ex hoc cap. restringitur ejus interpretatio à Doctoribus; quod satis indicavit idem sapienter in ipso textu adducto contra nos, qui ita habet: *Quia ut inquit Isidorus, lex est multo privata commoda, sed pro communi utilitate omnium conscripta, & licet alius humani sint in particularibus, tamen illa particularia referri possunt ad bonum commune, non quidem communitate generis, vel speciei, sed communitate causæ finalis.* In nostro autem casu aliter res se habet, cum evidenter tendat in bonum cujuscunque individui, quo in casu omnes conveniunt interpretandam ut favorabilem.

Non ita contingit in fundamento, quod assumunt tanquam certum Adversarii, cum plures, & quidem gravissimi Doctores doceant, adhuc ipsam legem interpretandam ut favorabilem, quando extensio fit in favorem Republicæ, sic Bartolus in lege dicit, *quod licet lex poenalis, & odiosa extra proprium significatum nullatenus extendatur, ut in regula: alia sunt restringenda; tamen ubi extensio tendit in favorem rei publicæ, ita ipsam debemus extendere, sicut legem favorabilem; ex qua doctrina gravissimi Doctores judicant dispositionem Cap. si quis suadente, esse favorabilem, & extendendam.* Videant Adversarii, quam debile sit contra nos illorum fundamentum. Hinc ad Confirmationem dist. maj. respondum, & molestiam redundantem in bonum particulare, nego in bonum commune, transeat mut. & dist. min. nego consequentiam, ut constat ex dictis.

Objicies 2. Sæpe potest Minister extra casum necessitatis uti opinione probabili circa valorem alicujus Sacramenti, per quem exponatur Sacramentum frustrationi; ergo non est illicitum.

illicium generaliter uti opinione probabiliter relicta tutiore, in ordine ad omnia Sacramenta. Probatum antec. Sacerdos potest absolvere poenitentem habens opinionem duntaxat probabilem de recta poenitentis dispositione, sive de vera contritione aut attritione, sine qua non exstat valor Sacramenti; ergo &c. Argumentum istud, si bene expendatur, non minus militat contra Pontificiam damnationem, quam contra assertionem nostram. Resp. igitur nego antec. ad prob. dist. antec. habens opinionem duntaxat probabilem requisitam ad valorem Sacramenti, nego; ad licitè conficiendum, con. antec. & nego conseq. Ratio est, quia Sacerdos absolvens in ordine ad valorem Sacramenti poenitentiae debet ex parte sui apponere, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, verba, quae pro absolutione certa sint, & non tantum probabilia.

330. Ceterum cum non possit ea verba licitè apponere, nisi prudenter judicet, poenitentem esse bene dispositum ad absolutionem, requiritur, quod habeat iudicium prudens de tali dispositione ad licitè proferendam absolutionem: si tamen haberet iudicium imprudens, vel ob vincibilem ignorantiam, vel ob aliam culpam suam, & nihilominus absolutionem proferret cum intentione absolvendi, stante poenitente rectè disposito, certò daretur validum Sacramentum: sed ipse illicite administrabat. Ex quo evidenter apparet, iudicium illud prudens non requiri ad valorem, sed ad conficiendum licitè Sacramentum; aliter neque poenitens posset confiteri, quamvis eliceret actus ex parte sui requisitos ad valorem Sacramenti ob merum vanum, ne forte Sacerdos distractus non haberet intentionem absolvendi, & frustraretur Sacramentum, ad quod vitandum esset tutius non confiteri, quod asserere monstruositas esset; imò licet poenitens bene dispositus iudicans invincibiliter confessarium non habere jurisdictionem, quando verè habet, simulque possit licitè, & validè absque jurisdictione absolvere, & sic accederet ad illud, maneret absolutus; quomodo ergo requireretur talia iudicia ad valorem; videatur Thomas Sanch. l. 1. summ. cap. 9.

331. Obijcies 3. Ex praxi, & consuetudine totius Ecclesiae, confessarii absolvent poenitentes cum opinione practice, & verè probabilis circa jurisdictionem: atqui jurisdictio requiritur ad valorem Sacramenti, ut constat ex Trid. citato num. 315. ergo damnatio hujus propositionis non se extendit ad usum opinionis probabilis circa jurisdictionem. Confirmatur ex Eximio Doctor tom. 4. in 3. partem disp. 27. sect. 5. dicente, esse probabile, Ecclesiam dare jurisdictionem habenti probabilem, quem plures Doctores sequuntur; ergo jurisdictione solum probabilis potest Sacerdos conferre absolutionem. Resp. dist. maj. cum opinione practice probabilis, quae

ex circumstantiis maneat certa, con. quae solum manet probabilis, nego maj. & con. min. nego conseq. Ad confirmationem dist. antec. esse probabile solum, sumpta opinione seorsim à consuetudine, con. in consortio consuetudinis, nego antec. & consequentiam simul cum talibus circumstantiis ea opinio est certa: licet enim Eximius Doctor dicat, esse opinionem probabilem, non dicit esse probabilem consuetudinem, imò illam tradit indubitabilem per haec verba: *confirmatur, inquit, ex universali Ecclesia consuetudine, quae est sufficiens signum jurisdictionis* (ut supra dictum est) *est enim universalis Ecclesiae usus, ut Sacerdotes securè utantur hujusmodi jurisdictione* (nempe verè probabilis) *in administratione hujus Sacramenti.* Quapropter opinio verè, & practice probabilis ex tali consuetudine rediditur certa.

Ratio est, quia, quando datur opinio de jurisdictione verè probabilis apud Doctores, de cujus probabilitate non dubitatur inter Sapientes, & supradicta Ecclesiae consuetudo, talis opinio in praxi manet certa: in tali enim casu dimanat à consuetudine tanquam à lege Ecclesiae canonica jurisdictione, ut constat ex Cap. cum contingat de foro compet. ubi sic statuitur: *nisi forte hi, quibus delinquentes ipsi deservunt, ex indulgentia, vel consuetudine speciali jurisdictionem hujusmodi valeant sibi vendicare*; ubi Glossa notat, quod consuetudo dat jurisdictionem; tum ex Cap. Romana de sententia excommunicationis in 6. ubi prohibens quibusdam jurisdictionem absolvendi à censuris, subjungit Pontifex: *salva contraria super hoc consuetudine, si quanta habent*; tum ex Cap. duo simul de officio Ordinarii, ubi dicitur: *cum sit in Canonibus definitum, Primates, vel Patriarchas nihil juris praeter ceteris habere, nisi quantum Sacri Canonis concedunt, vel prisca illis consuetudo contulit ab antiquo*; tum ex Tridentino sess. 22. in Decreto de Reformatione Cap. 3. dicente: *quod si alienè ex praedictis dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis de jure, seu consuetudine jurisdictione, administratio, vel officium non competat &c.* Ex quibus patet, jurisdictionem habere ex consuetudine.

Obijcies 4. Instando simul solutionem: licitè, & validè potest Confessarius absolvere excommunicatum majori excommunicatione in casu urgentissimae necessitatis, deficiente copia Superioris; atqui in eo casu solum habet Confessarius jurisdictionem probabilem, cum talent jurisdictionem negent plures, & doctissimi Doctores cum Vasquez Tom. 3. in 3. part. Tract. de excommunicat. dub. 4. ergo &c. Confirmatur ex Cap. fin. de Clerico excommunicato, ubi loquens de Clerico celebrante cum excommunicatione minori, ait Pontifex: *peccat autem conferendo Eucharistica Sacramenta, sed ab eo collata, virtutis non caret effectu, cum non videatur à collatione, sed à participatione Sacramentorum, quae in sola consistit perceptione remota*.

tus. Modò sic: verbum illud *remotus* non potest significare solum prohibitionem, quam etiam habet excommunicatus minore excommunicatione; ergo significat ablationem jurisdictionis à Confessario, ut absolvat excommunicatum majori excommunicatione.

§34. Respondeo conc. maj. & nego min. quia licet opinio nostra secundum se spectata sit probabilis, in illis circumstantiis urgentissimæ necessitatis redditur certa, ut clarè constat ex Rubrica Missalis de defectibus dispositionis animæ sic statuendo: *si recordetur, se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter coneratur cum proposito tenendi absolutionem: ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deferere*; ex quo inferatur, quòd si excommunicatus inceptum Missam, & ante consecrationem recordatus fuerit excommunicationis, posse progredi, si timetur scandalum, ac proinde in casu urgentis necessitatis cessare talem Ecclesiæ poenam, sive legem excommunicationis, quæ tollat facultatem ad celebrandum, vel jurisdictionem ad absolvendum, cum ubique eadem ratio militet: etenim non minus prohibitus est excommunicatus prosequi Missam, cum recordatur excommunicationis ante consecrationem, quam recipere Sacramentum Poenitentiae: hoc autem non obstante, ut constat ex prædicta Ecclesiæ declaratione, quando urget necessitas orta ex timore scandali, potest Missam prosequi ergo pariter, quando urget talis, vel similis necessitas, potest Sacramentum Poenitentiae recipere, nec illa lex extra casum necessitatis prohibens extenditur ad casum necessitatis. Hinc ad confirmationem dist. antec. non potest extra casum necessitatis, aut similis iusti tituli, conc. in casu necessitatis, nego antec. & consequentiam, ut constat ex dictis.

§35. Obijcies 5. In casu necessitatis non est illicitum contrahere matrimonium cum sola Episcopi dispensatione circa impedimentum dirimens: sed ista solum est opinio probabilis, & minus certa, cum contrariam defendunt plures Theologi; ergo &c. Confirmatur. Licet sit probabile circa quæstionem facti, nulla est certitudo, ut dispense Episcopus; ergo neque erit certitudo, licet sit probabile circa quæstionem juris. Respondeo conc. maj. & dist. min. solum est probabilis præscindendo à consuetudine, conc. simul cum consuetudine, nego min. & consequentiam; quia in consortio talis consuetudinis manet certa ex num. 332. Quòd autem in casu detur talis consuetudo, testantur Eximius Doctor lib. 6. de legibus cap. 14. Thomas Sanchez lib. 2. de matrimonio disput. 40. Castropalao Tom. 5. disput. 4. Revellus, Basilius, Vasquez, Caspar Hurtado, Salas, pluresque alii: tum etià Pyrrhus Corradus in praxi dispensationum Apostolicarum lib. 8. c. 4. addens Cardinalem Protonotarium tunc Sixti V. factò prius verbo cum Summo Pontifice, descripsisse cui-

dam Episcopo consulenti, licuisse sibi, ut præstiterat, in huiusmodi casu dispensare. Ad confirmationem conc. antec. & nego consequentiam; quia nullum est principium, ex quo maneat certa opinio in quæstione facti, bene verò in quæstione juris ex consuetudine. Videatur Cardenas cap. 8. artic. 12. num. 629.

Obijcies 6. Conjuges, qui sunt Ministri Sacramenti matrimonii, possunt licetè ministrare illud ex sententia verè probabili; ergo damnatio hujus propositionis non se extendit ad Ministros omnium Sacramentorum. Resp. dist. antec. ex sententia verè probabili, quæ ex circumstantiis manet certa, conc. quæ solum probabilis manet, nego antec. & consequ. Ratio est, quia cum ex jure, & consuetudine præscripta in Ecclesia maneant certa quo ad valorem matrimonia, quæ celebrantur ex sententia verè probabili, ut constat à num. 322. ea opinio probabilis in circumstantiis talis consuetudinis redditur certa, ac proinde nullatenus exponitur frustrationi Sacramentum, neque iste casus sub hac damnatione comprehenditur, ut intendit Magister Ottonalis consuetudinis oblitus. Ex quo

Obijcies 7. Si matrimonium celebrari possit ex opinione verè probabili, possunt conjuges etiam post longam cohabitationem et probabilitate contrariæ opinionis recedere à matrimonio, v. g. si consanguinei contraxerunt cum dispensatione, circa cujus valorem sunt opiniones utriusque verè probabiles; ergo non ita possunt contrahere, ac proinde talis opinio subjecta manet damnationi. Resp. nego antec. quia cum talis opinio sit certa ex circumstantiis, ut constat ex num. sequenti, matrimonium manet indissolubile, ac proinde postea non possunt conjuges à contractu recedere, imò ex ipsa natura indissolubilitatis matrimonii ita strictè se obligant conjuges ad permanendum in matrimonio, ut cedant juri probabilitatis, qua se possint tueri contra eam permanentiam, etenim ex vi illius contractus se obligant, quantum possunt in ordine ad veritatem, cum autem possint cedere juri contrario, quod dabit probabilitas, illi juri cedunt ex vi talis contractus; insuper ex potestate Ecclesiæ manet indissolubile, cum in illis casibus imponat conjugibus obligationem standi contractui matrimoniali, quod idem est, ac decernere talem contractum esse certò validum.

Obijcies 8. Consanguinei in gradu duplicato non admittuntur ad matrimonium in tribunali Ecclesiastico, si obtineant dispensationem, tacendo circumstantiam gradus duplicatis, atqui est sententia probabilis, valere dispensationem, licet taceant illam circumstantiam; ergo opinio probabilis quoad valorem matrimonii ex nulla circumstantia redditur certa, ac proinde ita ministrare subiacet damnationi. Resp. conc. maj. & dist. min. est sententia verè probabilis, nego probabilitatis dubiæ, conc. min. & nego consequ. illa enim opinio commu-

hinc rejicitur à Doctoribus tanquam dubia probabiliteris quoad praxin, ac proinde non potest manere certa ex consuetudine. Neque dici potest verè probabilis, cum eam rejiciat Sacra Romana Rota, sequens oppositam, ut patet ex ejus novissimis decisionibus Volum. 3. lib. 1. decis. 117. num. 2. & lib. 1. decis. 70. num. 1. & sic perpetuo judicet; unde consuetudo contra talem opinionem militat: etenim rerum similiter judicatarum auctoritas vim legis obtinere debet, juxta legem non imperatur ff. de legibus, sicque opposita opinio manet ex circumstantiis certa; unde non est locus ad judicandum ex vi alterius opinionis in favorem matrimonii.

§39. Obijcies 9. Contra secundam assert: ex Magistro Ozés, & Recentioribus: minus stricta est obligatio recipientis, quam Ministri in ordine ad consulendum valori Sacramenti, sicque requiritur in Ministro intentio virtualis, secus in suscipiente; ergo licet illa damnatio comprehendat Ministrum, non debet extendi ad recipientem. Resp. con. antec. & nego consequentiam propter rationes datas à num. 308. neque fundamentum Adversariorum dignum est tantis viris pro re adeò gravi, cum nihil aliud contineat, quam Summulistarum Sophisma; quid enim refert, quòd sit major obligatio in Ministro, quam in suscipiente, quando uterque deficit in re gravi? exinde enim solum inferitur, utrumque peccare mortaliter, licet sit majus peccatum Ministri. Sic obligatio Religiosi major est, quam hominis secularis ad observationem castitatis; exinde autem pessime, & contra fidei regulas deduceretur, solum Religiosum peccatum graviter transgrediendo præceptum castitatis, secus autem secularis: uterque enim graviter peccat, licet minus peccet secularis. Pariter in nostro casu.

§40. Obijcies 10. Licet potest poenitens recipere Sacramentum Poenitentiae, licet non eliciat contritionem; sed attritionem; atqui non est certum, sed solum probabile, sufficere attritionem; ergo &c. Probatum min. Non sufficere attritionem ad valorem Sacramenti Poenitentiae, sed requiri aliquam dilectionem DEI super omnia, est sententia plurium Doctorum Lovaniensium, circa quam magna exorta fuit controversia tum Lovanii, tum in aliis Galliae Academiis, adeò, ut Alexander VII. Decretum expedierit datum 5. Maji 1660. in quo præcipit, ne ullus audeat Theologicam censuram inurere, aut contumeliâ, vel injuriâ affirmare opinionem affirmativam, aut negativam; ergo ex decreto Pontificio relinquatur illa sententia in statu merè probabilis.

§41. Respondeo conc. maj. dist. min. non est certum certitudine autentica, conc. certitudine privata Theologica, nego min. & consequentiam; & eodem modo respondeo ad probationem. Ratio est, quia ad licitam Sacramentorum administrationem, & susceptionem non requiritur certitudo

authentica, sed fat est certitudo Theologica privata: cumque certum sit certitudine Theologica privata, quòd sufficiat attritio generalis superna, ut constat ex praxi Ecclesiae, & ex his, quae latè diximus Tractatu de Poenitent. virtut. Exinde licet accedit poenitens ad Sacramentum poenitentiae cum attritione generali superna. Vide ibi fusè hæc omnia à num. 444.

SECTION V.

De simulata Sacramentorum administratione.

Altera ex 65. damnatis propositionibus, ordine 29. sic habet: *urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Pro cujus explicatione suppono cum Eximio Doctor lib. 9. de legibus cap. 17. duplicem esse simulationem, alteram formalem, alteram materialem. Formalis est, quando per signa externa cum intentione decipiendi manifestatur aliis aliter, ac est in mente. Materialis est, quæ apponit signa externa factorum, vel rerum, per quæ præter intentionem aliqui decipi solent; ac licet ex se indifferentia sint ad plura significanda, respiciunt tamen, quando apponuntur, objectum, aut circumstantiam vitiosam, quæ non potest excusari à culpa respectivè ad finem simulatum: sic Catholicus, qui simulat se Judæum, aut Lutheranum, nullatenus excusatur à culpa, licet non id faciat simulatione formuli, aut ex intentione decipiendi, sed ex alia diversâ ratione.

Si autem respiceret circumstantiam omnino indifferentem, quæ nihil vitii contineret, & ex se posset provenire à causa A. vel B. qui cum jure suo, & recto animo eam poneret ex causa A. permittens omnino deceptionem, quam alii habere possent judicantes, procedere à causa B. non esset simulatio, de qua loquimur, sed fictio manifestationis æquivocæ, quæ non est mendacium in opere, sicuti neq; in verbis est mendacium loqui per æquivocum absq; intentione decipiendi, quando quis habet jus ad ita loquendum, licet permittat deceptionem, quam alii fortassè habebunt adducentes sensum rei in aliam significationem. Sic Christus Dominus coram duobus discipulis accedentibus ad Emaus Lucæ 24. *se finxit longius ire,* per quod significabat, vel ipsum in mente discipulorum absentem esse ab illis, ut explicat Gregor. Hom. 23. in Evangelio dicens: *nihil simplex veritas per dupliciter fecit, sed se talem eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente;* vel ut alii explicant, significabat suum ad cælum iter, & discipuli præter intentionem Christi intelligentes viam materialem decipiebantur.

Propter hanc rationem Interpretes excusant à peccato Josue, quando cap. 8. præcepit militibus fugam, ut commodiorem habe-